

Oratio in Collegii Regalis Medicorum Londinensis aedibus novis habita die dedicationis, Junii XXV, M.DCCCXXV / ab Henrico Halford.

Contributors

Halford, Henry, 1766-1844.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Londini : Ex officina Johannis Nichols et filii, prostant apud Payne et Foss, 1825.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/x768uu5h>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

19.

ORATIO

IN

COLLEGII REGALIS MEDICORUM LONDINENSIS

ÆDIBUS NOVIS

HABITA.

THE

AMERICAN

REPUBLICAN


OF

THE

UNITED STATES

OF AMERICA

1850



ORATIO

IN

COLLEGII REGALIS MEDICORUM LONDINENSIS

ÆDIBUS NOVIS

HABITA


DIE DEDICATIONIS,

JUNII XXV, M.DCCCXXV,

AB HENRICO HALFORD, BARONETTO,

MEDICO REGIS ORDINARIO,

PRÆSIDE.



LONDINI:

EX OFFICINA JOHANNIS NICHOLS ET FILII, 25, PARLIAMENT STREET;
PROSTANT APUD PAYNE ET FOSS, PALL MALL.

M.DCCCXXV.

CHARTER

OF THE
CITY OF BOSTON

1780

THE CITY OF BOSTON, in and for the County of Suffolk, do hereby certify that the following is a true and correct copy of the Charter of the City of Boston, as amended, and that the same is now in force and effect.

IN WITNESS WHEREOF, we have hereunto set our hand and the seal of the City of Boston, this 1st day of January, 1880.

ALDERMAN CLARENCE B. LORING, Mayor.

ALDERMAN JOHN W. B. LORING, Clerk.

ORATIO.

ETSI non vereor, Socii, ut vobis hoc festo die satisfaciam, quippe qui me tam benigno semper soliti sitis animo amplecti; quique operam curamque meam, qualescunque eae demum fuerint, in rebus vestris administrandis tam comiter omni tempore acceperitis; cùm me tamen tantâ doctorum Hospitum frequentiâ circumfusum video—cùm tot apud nos conspicio utriusque Senatûs lumina, tot publici consilii Auctores, tot Regiæ prosapiæ Principes, —atque, hos inter, illustrissimum illum Principem, rei militaris nostræ præsidium et decus, — pertimescere me, confiteor, et parum abesse, quin me muneris hodie suscepti pœniteat. Quâ nimirum ratione, dicendo aliquid proferam eorum auribus et iudicio dignum, qui, in maximis Imperii negotiis versati, inter eloquentissimos in curiâ eloquentiæ palmam facilè ferant? Quomodò eorum pertrectem animos, aut conciliem nobis eos, qui, etsi

prima labra admoverint istis iisdem scientiæ fontibus, quibus et nosmetipsi in almâ Academiâ proluimus, ad majora tamen et ad altiora se continuò accinxerint, et nihil ultrà, in omni vitæ et studiorum decursû, aut commune nobiscum aut cognatum habuerint. Quod sperandum tamen esset ab istâ benignitate, quæ honesti nihil ac liberalis à se alienum putat, id hodie, Optimates, voluntas in nos vestra comprobavit; et ex hâc magno illustrium virorum conventû planè intelligere licet, quanti faciant illi utilissimam et antiquissimam hanc artem nostram, et quantâ eam benevolentîâ, quanto favore prosequi velint.

Audacter igitur et hilari voce gratulor vobis, Socii, quòd hocce templum Apollinis dignum institutis et arte vestrâ, dignum Antecessoribus vestris, dignum hâc illustri Procerum coronâ refecistis, — quòd, è colluvione et tenebris emersi, tandem aliquandò in luce iterum et in splendore versamini.

Probè nôrant Majores nostri, quàm omni ex parte necessarium esset, Domum suam, unde procederent in publicum auctoritatis signa, in urbanâ frequentîâ, in congressione hominum, et in oculis civium posuisse. Jacta

sunt igitur fundamenta Trojæ nostræ, (quam, temporum ratione et inclinatione ducti, non sine Diis Penatibus tamen, reliquimus,) eâ amplitudine et dignitate, quibus arx et præsidium publicæ salutis esse deberent. Immò, ità jacta sunt à viris prudentissimis, ut, dum necessitatibus rerum suarum commodè et eleganter inservirent, et jucundissimæ isti Sociorum convictioni satisfacerent, voluntatem eadem et reverentiam populi sibi vindicarent. Jacta sunt autem et auspicatò et temporibus æquis. Quippe civilis belli molestiis et tempestatibus successerat modò Pax; et Pacis comites Otiique sociæ sunt Artes liberales. Medicina igitur, quæ jam inde ab ætate Linacri, necessitudinem cum litteris arctissimam habuerat, philosophiam quoque tum demum amplexa, scientiæ dignitatem adepta erat. Circuitum etenim sanguinis aliquot ante annos detexerat et demonstraverat HARVEIUS istâ ipsâ philosophandi methodo, quam solam esse sanam et sinceram docuerat Verulamus, posterì autem perfectam prorsus atque omnibus numeris absolutam esse decreverunt.

Quantum contulerit ad philosophiæ istius, in quâ de Naturâ disputatur, studium incitandum admirabilis hu-

mani corporis fabricatio adeò felici solertiâ patefacta et exposita, non necesse est hodie dicere. Quod nobis certè rebusque nostris suprà omnia felix faustumque fuit, eo tempore quotquot essent in Physicis subtilissimi, quotquot in rerum causis exponendis exercitatissimi, ii Regio hortatû coierant, et in inclytam istam Societatem cooptabantur, è quâ, ceu fonte perenni, profluxit, (et, Præsidente isto eximio duce atque auspice, profluit indies, atque in omne porrò ævum profluxura est,) omnigena Scientia, et quicquid ad artium incrementa, aut ad vitæ cultioris utilitatem possit conferre.

Nec sanè mirandum est, Socii, quoniam cum hoc genere philosophiæ magnam habet familiaritatem Medicina, non minimam partem egregiæ istius Societatis medicam fuisse artem professos. Sumere autem vobis superbiam licet, quòd vestri fuerunt Entii, Cronii, Scarburii, Glissonii, (quorum ut erat quisque suæ artis peritissimus, ità naturæ interpretandæ scientissimus); quòd vestri sunt hodie, qui Chemiam altiùs scrutentur et perspiciant, “qui errantium stellarum cursus, progressiones, institutiones” feliciter notent et intelligant.

Hâc opportunitate temporis antiquæ nostræ conditæ sunt ædes ; quæ ut sit “ eadem nostræ fortuna Domûs,” faxit Deus Optimus Maximus !

Nec temerè et inconsultò in his precibus spem ponimus, quoniam nostra hæc Respublica optimis temperata est legibus et institutis, et in omni recto studio atque humanitate versamur. Neque enim quemquam priùs civitate nostrâ donamus, quàm disciplinis iis veteribus, (quæ, etsi non faciunt medicum, aptiorem tamen Medicinæ reddunt,) instructus fuerit ; quàm eruditione, viro libero dignâ, penitùs fuerit imbutus ; quàm, quid medicum deceat, quid omni ex parte pulchrum sit et honestum, didicerit. Longè enim aliud est in Materiâ Medicâ exercitatum esse, aliud mederi.

Nec majore studio, nec spe uberiore, nec amplioribus aut ad gratiam aut ad dignitatem præmiis commoti, hoc opus susceperunt Antecessores nostri, quàm quibus et nos hodierno die. Quidni enim ? Pecuniam à prudentissimis et integerrimis Testamenti Radcliviani Curatoribus accepimus, (“ non parcâ manu suffectam, sed liberâ,”) quali ipse Radclivius munificentissimus, si in vivis foret,

civibus suis, quos dilexit, quibus ipse vicissim in deliciis fuit, largiendo suppeditasset. O fortunatum Radclivium, et, siquis alius, invidendum ! cujus virtuti licuerit et in vitâ et in morte humano generi benefacere.

Nec vestro caruimus patrocínio, Illustres publici consilii Auctores ! Quippe vos, felicitis hujusce gentis famæ consulentes, et saluti vitæque civium prospicientes, non alienum à prudentiâ aut à dignitate vestrâ duxistis, nostris votis respondere, nostris rebus opitulari. Quòd igitur ab optimo Rege situm, ubi hoc artis nostræ theatrum, idemque bonarum litterarum domicilium, staueremus, vestram operam, favorem vestrum apud Principem interponendo, procuravistis ; summas, quas possumus, gratias agimus, summas semper acturi, — dum hæc mœnia durando perstabunt, dum salutaris hæc professio laudem apud Britannos et observantiam habebit.

Sed, quod maximum est, Socii, et suprâ omnia dona, quemcunque Vos in Præsidis locum elegeritis, Rex eum statim Regiorum Medicorum ordini adscribi jussit ; sacram scilicet suam valetudinem vestris consiliis, vestræ curæ tuendam commissurus.

Si quis hujus beneficii gratiam institutis nostris, et disciplinis iis deberi putet, quas Majorum nostrorum sapientia, ad Medicinam ritè et decorè exercendam necessarias esse statuit; nã is nec ineptè neque sine consilio judicat. Recordamini etenim, Socii, quanta inter bella, quantam inter victoriarum messem, pacis studia, doctrinam, et litteras humaniores Pater Patriæ foverit atque aluerit; quali benignitate studiis iis deditos acceperit; quali honore memoriam eorum prosecutus sit, qui vitam per artes inventas excoluêre.

At quanti Rex bonus ille noster litteras faciat, argumentum est instar omnium Bibliotheca ista eximia à venerando Patre comparata, quam in jus Populi cedere voluit. O magnificum et vere Regium munus! et à Te Principe uno post tot sæcula publicæ utilitati concessum! O sapienter factum! Probè etenim nôras, quantum illud ΨΥΧΗΣ ΙΑΤΡΕΙΟΝ, quod Bibliothecæ magni illius Ægypti Regis inscriptum fuit, ad conformandas hominum mentes animosque valeat; quantum nos ad virtutem percipiendam colendamque moveant illustrium virorum imagines, ab omni vetustate litteris proditæ; quan-

tum ad leges et instituta nostra pernoscenda, et ad æstimandam veram istam libertatem nostram ab illis oriundam, conferat veterum rerum publicarum contemplatio; quantum denique homini dignè de seipso sentire, dignè agere, suadeat scientia.

Te igitur, augustissime Rex! quòd in periculosissimis temporibus totam ferè Europam, cùm diuturno et difficili bello premeretur ab acerrimo hoste, non debellando nisi à nostro Duce nunquam victo, in libertatem et tranquillitatem vindicaveris, et, quantum cæteris gentibus militari gloriâ præstant, tantum tuos in artibus quoque Pacis antecellere volueris, — Te omni benevolentia compectimur, — Te grato semper animo colemus, — Te admirabimur, — Te amabimus, — nec de Tuis unquam laudibus posterì conticescent.

Quodcunque Antecessoribus nostris visum fuerit in ædificandâ Domo suâ moliri, id omne nos sedulò conati sumus in reficiendâ. Habueruntne igitur illi conclave, ubi Censores pro auctoritate et dignitate suâ congregi possent? Habemus. Num Theatrum extrui voluerunt, in quo solennes eorum, qui merendo nos memores sui fe-

cerint, laudationes instaurare possent ; aut in quo, si placuisset, medicinæ studiosos instituerent docendo ? Nos etiam extruximus : quanquam nostrum est potius de doctis iudicium facere, quàm indoctos docere. An Cœnaculum adparaverunt, ubi corpus commodè et jucundè reficerent Socii ; et Bibliothecam aptam et concinnam, ubi, negotiis atque urbano opere defessi, vacui curâ ac labore, liberæ animi remissioni indulgerent ? Adparavimus nos quoque. Quin vos dicite, Illustrissimi Auditores, (vos etenim perspexistis,) annon libri, imagines, quodcunque denique sit Atticum, apud nos etiam Atticè sint adservata.

Provisum est porrò nobis, quod Antecessoribus nostris admodum deerat, Museum ; in quo reponamus, quicquid, ex Anatomia petitum, humanæ fabricationis structuram, morbo læsam vitiataque, explicet. Quantum medicinæ inservire possint, (et certè plurimum possunt,) rationes ex Anatomia fontibus depromptæ, dudum percepit Harveius : et, si vitæ ejus utilissimæ parcere voluisset Deus O. M. non dubitandum est quin Ipse eadem fundamenta suppellectilis Anatomicæ posuisset, quæ nuper-

rimè summâ cum judicii et liberalitatis laude posuit Matthæus Baillie.

In hoc dilecto nomine fas sit mihi commorari paulum, et dolere, quòd huic excellenti viro, tot annos in eâdem nostrâ illâ laboriosissimâ vitæ ratione comiti, socio, amico, singulari in hanc domum pietate, hisce comitiis celebrioribus, huic solemnitati, huic illustrissimorum et nobilissimorum Hospitum coetui non licuerit interesse: quanquam eum famæ satis diù vixisse scio, æternæ felicitati, quod humillimè spero, benè satis. Et enim, patre usus pio, à primâ usque adolescentiâ in explorando corpore humano fuerat versatissimus; et ex hâc studiorum ratione sapientiam et potentiam Dei maximâ admiratione, summâ veneratione contemplatus est. Postea verò, cùm ad medicinam exercendam se accinxisset, facilè sensit, quantulùm corpori, morbis et ægrâ valetudine laboranti, subventurus esset Medicus, nisi qui animi quoque motus, vires, adfectus, perciperet: animi, scilicet, unius et ejusdem cum corpore, tamen diversi,—consociati cum illo, sed distincti,—in ejus compagibus inclusi et involuti, nihilominùs tamen liberi —immortale

quid perpetuò præsentialis atque præmonentis, et illud futurum cupientis, tamen et metuentis. Ab his contemplationibus potentiae ac majestatis divinae ad debitum numini cultum præstandum incitatus est, ad fidem in Deo habendam, et ad totum se ei submittendum. Hinc pia illa vivendi regula, hinc spectata integritas. Hinc illi omnia graviter, humaniter, amabiliter mos erat cogitare;—hinc, quod cogitaverat, planissimè ac verissimè dicere;—hinc nihil alteri facere, quod sibi faciendum nollet;—hinc candor, caritas:—sed me reprimo; quanquam haud vereor, Optimates, ne vobis in præstantissimi hujus viri laudibus longior fuisse videar: quippe vestrûm quamplurimi sanitatem ejus judicio et consiliis acceptam refertis. Nec timeo, ne mihi succenseatis, Socii, quòd eum his saltèm accumulaverim donis, qui tantum sibi vestrûm omnium amorem vivus conciliaverit; qui industriæ, benevolentiae, sanctitatis, innocentiae exemplum (quod omnes utinam imitemur!) reliquerit.

Vos, autem, illustres Animi! qui dudùm, corporis vinculis soluti, piâ atque æternâ pace fruimini,—Vos, Linacer, Cai, Harvei, Radclivi, (quorum recordatio hoc festo

die suavior apud nos et jucundior superest,) testor Vos, vestrâ sapientiâ fretos, vestris usos consiliis, vestrum hoc opus nos refecisse. Vos, olim, Græcarum litterarum lumen ab Italiâ in patriam transtulistis, Vos primi Medicos, doctos et eductos liberè, in civitatem hanc nostram benè moratam et legibus constitutam collegistis. Vos medicinam, explicato sanguinis revolubili cursu, rationalem fecistis, atque optimis hominum ingeniis dignam. Sic Artis Medicæ suus indies crevit honos; sic domus antiqua stetit inconcussa.

Nostrum erit hæreditatem à vobis acceptam successoribus nostris integram et incontaminatam tradere: Nostrum erit de Medicinâ, de Litteris, de Religione benè mereri. Sic nova hæc Domus stabit perpetua: Sic nostrum quoque, et hujusce diei, grata et honoranda delabatur ad posteros memoria.